EXCVRSVS III

EPIGRAPHICVS LIBER

COMMENT. XV.

RAYMVNDI GVARINII.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1833.

Qui in scenam provenit
Novo modo, novum aliquod inventum afferre addecet.

Plaut. Pseud. Act. I. Sc. V.

NICOLAO SANTANGELO

VIRO CL. ATQVE EXCELLENTISSIMO, ET ABS INTERIORIBVS REGNI NEGOTIIS

RAYMVNDVS GVARINIVS P. S.

Iam dudum sentio, et suppudet, Nicolae praestantissime, tuas mecum rationes non satis belle procedere. Cum etenim plura Tibi debeam, Patriae meae nomine in primis, vix est, quod nunc in grati animi significationem offeram, et mea, et illius vice fungens. In quo sane nec ego culpandus, nec illa, cuius ex adverso fatum iniquum mecum una doleas, necesse est. Nam τά eius vetera κει-

μηλια, quorum te cupidissimum novi, et quorum ampla seges ab anno usque 1811 ad hanc usque diem, me curante, est coacervata, vix eruderata (quod antiquum malum est) aut alio furtim distrahuntur, aut frustillatim in nihilum abeunt, hominum perniciosorum malitia. Ut ecce ad finem vergente anno elapso, Amphitheatri Aeclanensis, sane magnificentissimi, miseranda vestigia, quae anno proxime antecedente mecum unâ admirabundus contemplabare, vidente me, frustraque ingemiscente, funditus deleta. En erit umquam, ut pesti huic longe, lateque grassanti, inque dies acrius recrudescenti, opis aliquid per eos, quorum id iuris est, afferatur?

Et tamen tot inter, tantaque adversa, non pauca, Feriarum Autumnalium beneficio, tamquam per cuniculos, suffurari hac illac contigit de penu quondam uberrima Aeclanensi, quae Tibi nunc si-

stere est animus, si nugas forte hasce meas esse aliquid putes. Et quo munusculum hoc qualecunque minus tibi iniucundum accedat, pluribus auctum volui aliunde conquisitis, quae iusti *Commentarii* formam compleant, illis addendi, quae iam dudum typis vulgata nosti. Quandoquidem *Excursionem*, non *Legationem* item *liberam*, haud temere titulo inscripsi. Quod *excursionis* est, omnia periculo, impendia mea, stant: quod *liberam* denuntiavi, nullis ea certis, sive locorum, sive temporum, sive rerum finibus coerceri iure potest. Vale, meque Tui studiosissimum fove.

Dabam Neapoli prid. Non. Februarii MDCCCXXXIII.

CAP. I.

DE FORMULA DEDICANDI SUB ASCIA.

§. I.

Decipit exemplar vitiis imitabile. Hor.

Quanta olim animorum contentione primores inter rei epigraphicae Curatores de formulae hujus potestate, usuque disputatum sit, eccui eruditorum tironi ignotum, Nicolae praestantissime? Quaestio sane obscura adeo, difficilisque, ut Montfauconius, perpensis omnibus, quae ad illud usque temporis editae doctorum hominum sententiae fuerant, conclamatam pronuntiarit, *donec aliquod monumentum eruatur, quod tam obscurae rei lucem afferat.* Et tamen in tanto opinionum conflictu, quantus nusquam alias contigit in re simili, quâ ingenii vi, quâ eruditionis penitissimae copia, causam, prae caeteris, obtinuisse visus est Mazochius noster, miraculum illud orbis totius literati, Facciolati in

primis suffragio splendidissimo iure superbiens. Huius sententia huc redit, ut *dedicare sub Ascia* sit: monumentum nondum *absolutum*, id enim illi est *sub Ascia dedicare* (hoc est, cadaveris illatione, non precaria, sed perpetua, *consecrare*). Siquidem *Ascia* viro summo in toto hoc negotio unice est pro instrumento *caementitio*, minime *materiario*, aut alio quovis. Verum ut ingenue tandem fateamur, quod hactenus profiteri palam, pudor vetuit, fortasse pravus, numquam impetrare a nobis potuimus; ut expositioni huic, caeteroquin ingeniosissimae, penitus acquiesceremus.

Nam ut dicere omittamus de *Asciarum sepulcralium* delineationibus, quae non eaedem perpetuo in marmoribus conspiciuntur, hae profecto omnes, qualescunque sint, ad quidvis potius aptae videntur, quam ut *caementariis* usui esse queant. Quin *Ascia*, ut Mazochius idem ex Epicteto, aliisque solidissime probat, *materiariorum* organum est τὸ διακριτικον, qui idcirco et nunc audiunt *Maestri d'Ascia*, minime *caementariorum*, quorum propria, quae italice *Cazzuola*, sive haec Palladii *trulla* fuerit, sive aliud quodcunque. Nec dissimulamus,

Asciam quoque dici a Vitruvio (a) *Rutrum*, idest *Ligonis* genus illud, quo calx subigitur. Verum haec non *caementarii* propria est, sed eorum, qui caementario procul, ut ita dicamus, subserviunt; estque praeterea manubrio oblongo munita, quorum nil tale incurras in *Asciarum* τοῖς σχήμασι, quas titulis funebribus insculptas videre usque nunc contigit.

Ad haec. Formulae huius usus prope unius Galliae Lugdunensis finibus continetur, in eamque sero admodum inductus. Ex quo indicium certum est sumere, novi aliquid, idque non levis momenti, in hoc latitasse. Nunc quid novi, scituque dignum prae se ferat formula; qua moneamur, monumentum, etsi non *perfectum*, tamen *dedicari* pro prima vice cadaveris illatione? nihilne tale tot ante seculis in toto, qua qua patebat, orbe romano umquam contigerat, ut notari tam saepe id, et ab unis fere Lugdunensibus, mereretur? Notatum hoc enimvero de Christi *sepulcro novo*: sed neminem fugit, ad sacratiores id referendum esse rationes, de quibus cognoscere, theologici iuris est. Qua una

(a) Lib. VII. Cap. 2.

observatione concidit, quod Gutherius (a) ait. *Opere tectorio sepulcra exornare, idem est, quod in veteribus inscriptionibus passim legitur*: SVB. ASCIA. DEDICARE. *quae verba multis* (nimirum se uno excepto) *crucem infixerunt*. Quasi vero formula *dedicandi sub ascia* vetustior habenda sit prae formula *exornandi opere tectorio*, *albario*, aut etiam *marmorato*; quod contra dici oportuerat, cum inter eruditos conveniat, formulam *dedicandi sub ascia* ad sequiorem aetatem esse referendam.

Nec illud placet, cum Ursino nostro excidisse homini Gallo, latinae proprietatis sectatori, ut civitate romana donari meruerit, inque Senatorium Ordinem cooptari, *opus perfectum* dici a Plauto EXASCIATVM. Dixisset rectius *incoeptum*, sive *inchoatum*. Siquidem *ascia* deformatur lignum, runcina post, et scobina expoliendum, in quem plane sensum loquitur Libanus Plautinus:

Hem! istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, et adventores, et Sauream.

(a) *De Iur. Man.* Lib. II. Cap. 28.

Iam hoc opus est EXASCIATVM (a). Bene, inquit, *coeptum*, *susceptumque*, etsi nondum *absolutum*.

Qua etiam ratione, nisi fallimur, Mazochiana nutat sententia. Nam opus non adhuc *perfectum* dici consuevit *coeptum*, aut *inchoatum*, non *sub ascia* veluti in ancipiti propendens. Rei huius innumera afferri exempla queunt. Paucis tamen contenti erimus e Grutero petitis.

(a) *Asinar. Act.* II. Sc. 2.

IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS. ANTONINVS
AVG. PIVS. COSS. III. TRIB. POT. II. P. P.
AQVAEDVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS. COEPTVM. A. DIVO
HADRIANO. PATRE. SVO. CONSVMMAVIT. DEDICAVITQ (a).

Coepto igitur opponitur *consummatum*, *dedicatumque*, quod posterius hic est; in *usu pro prima vice positum*. Rursus:

D. M.
M. ANTONII. LVPI. PR
PATRICII. AVGVRIS. QVAEST. SODAL. TITII. TRIB
MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE. FIDEL. XVIR. STL. IVD. PRAEF. FER
LAT. CVIVS. MEMORIA. PER. VIM. OPPRESSI. IN
INTEGRVM. SECVNDVM. AMPLISSIMI. ORDINIS
CONSVLTVM. RESTITVTA. EST. SEPVLCRVM. AB. EO. COEPTVM
CLAVDIAE. REGILLAE. VXORI. ET. ANTIAE. *MARCELLINAE. FIL
PIETATIS. SVAE. ERGA. EVM. TESTIFICANDAE. GRATIA. ET
NOMINIS. EIVS. IN. PERPETVVM. CELEBRANDI. PERFECERVNT.
AFFINES
AMICI
Q. FABIVS. HONORATVS. T. ANNAEVS. PLACIDVS (b).

8

(a) Pag. 177. n. 4.

(b) Pag. 336. n. 1.

* Sic. Corrigendum: ANTONIAE, quae nimirum *M. Antonii filia.* Si igitur de opere *inchoato*, *dedicatoque*, tametsi non *perfecto*, fuerat in titulis Lugdunensibus commemorandum; cur veteribus hisce formulis reiectis, quarum usus perpetuus, et vulgata erat significatio, nova haec, et prorsus inaudita *dedicandi sub ascia* fuisset inducta, quae viris olim doctissimis crucem erat fixura?

Rogatus inter haec noster ὁ πανυ abs elegantissimo Serao, eruditisque aliis, quorum difficile genus, qua de causa *ea formula Lugdunensium, et viciniae peculiaris fuerit*, primum subirascitur aliquautisper. Postremo ne detrectasse operam amicis videretur, quaestionis exta augurali disciplina sibi inspicienda proponit. Utinam utile, quod in extis portentum! Auguralis operae haec demum summa est: *Nusquam magis*, ille ait, *quam in Lugdunensi Provincia, sepulcra a violatoribus incestata fuisse.* Rectissime hoc, fideique historicae apprime consentaneum, uti ex Sidonio potissimum Apollinare (a) colligere est. At quae deinde subnectit, parum inter se

(a) Epist. III. 12.

cohaerere videntur. Sciscitandi quippe ius est: Quae Lugdunensium sepulcra, et quibus de causis, incestare praesertim homines nefarii consueverant? *Ea maxime*, reponit ὁ τῶν φιλολογων antesignanus, *quae quia non absoluti operis essent*, *imperfecta*, *h. e. non dedicata*, *et vacantia corporum crederent*. Atqui nos ex adverso, ut mox declarabitur: *ea unice*, quae *absoluta*, et *cadaverum plena* crederent.

Sed Mazochium sequamur. *Multum inde*, ille addit, *negotii Rectori Provinciae creabatur. Quid enim? hic propter monumentum iuris sui violatum*, *actione*, *sive iudicio in factum*, *experiebatur. Ille sic excipiebat*: *ut dolo malo id se fecisse negaret*, *ratum scilicet*, *sepulcrum* (*quippe nondum desita fabrica*) *esse* IMPERFECTVM, *hoc est*, *non dedicatum*. Sed licet interrogare: in unane Gallia Lugdunensi frequens adeo, communisque erat numerus sepulcrorum *dedicatorum*, etsi nondum *desita fabrica*, ut praemoneri hoc edicto praetorio, necesse fuerit? idque portentosa illa formula *dedicandi sub Ascia?* nec satis ad hoc fuisset formula receptissima sepulcri *coepti*, *inchoative*, quod tamen *dedicatum*, *consecratum*-

que foret ; et quod ipsi per se monumentorum auctores denuntiare poterant, ut factum ante fuerat? Quo facto, eccui bono Praetoris hoc edictum? Quin *exceptio* haec de cavendo *a dolo malo*, quae nostro in mentem venit, de nihilo esse videtur, adeoque in re proposita otiosa penitus, ac supervacanea. *Dolus* quippe *malus iure*, *et facto* in sepulcrorum insidiatores fuerat praesumendus. Ecquid enim hi sepulcra violarent, nisi spe lucri inducti? quaenam autem lucri spes in sepulcris *inchoatis*, necdum cadaverum illatione *dedicatis*, seu *consecratis*? In scenam prodit opportune Plauti Pseudolus (a):

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie.

Vetere inquit, idest *consummato*, *dedicatoque*. Ecquid enim in *inchoato* tantum, necdum dedicato, *effoderet*? Profecto enim unâ cum cadaveribus, non ante, condebantur pretiosiora quaeque, quae ad sui praedam allicere animos possent. Quam divitum ambitionem in sepulcris apparandis, ditandisque sic insectatur Venerabilis Beda (b): *Ex simplici sepultura Domini*

(a) Pseudol. Act. 1. Sc. VI.

(b) In Marc. Evang. L. IIII. Cap. XV.

ambitio divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere divitiis.... Corpus Domini non auro, non gemmis, et serico, sed linteamine puro obvolvendum. De veterum porro studio pecunias, thesaurosque unâ cum cadaveribus condendi plura colligit Aringhius (a), quem adeat, si cui lubet, et vacat. Si itaque in his edictum praetorium intercessisse velis, et intercessit sine dubio; de poenae alicuius comminatione in bustirapos, si Plautino ore loqui fas est, cogitato, resque omnis perbelle procedet.

Nobis idcirco opinio illa se vehementer probat, quam primus omnium, quoad sciamus, protulit vir quaqua vorsum celebratissimus Mabillonius in haec verba (b): *Forte sollemni illa sub Ascia sepulcrorum dedicatione Diis Manibus facta nihil aliud volebant veteres, quam ut eiusmodi monumenta inviolata redderentur sub* ASCIAE POENA, *seu capitis, quam violatoribus sepulcrorum intentarent.* Et quis sane nescit, capitales quoque poenas fuisse olim romanis legibus in tumulorum violatores decre-

(a) *Rom. Subterran.* Lib. I., Cap. XXVI.
(b) *De Cult. SS. ignotor. Ep. Euseb. Roman.*

tas (a)? Et Mabillonium tamen carpit Muratorius, quod si τὴν ἄξινην saevitiae instrumentum tradi placuisset, in *securis* formam delineari illam, oportuisset. Quo quid afferri futilius poterat? Quasi ἡ ἄξινη, quae et lignis dedolandis, et caedendis lapidibus aptissima est, ineptum saeviendi in homines instrumentum sit! Opportune S. Eucherius (b): *Ascia, vel Dolabrum, pravorum persecutio*, subaudi symbolum. Indeque factum putamus, ut in *asciarum funebrium* imaginibus exhibendis non eadem usque, perpetuoque forma observetur. Satis enim credebatur, *asciam* repraesentare qualemcumque, quae poenae memoriam nemini ignotam excitaret adversus bustorum despoliatores. Quamquam varietatis huius alia, eaque solidior, assignanda ratio sit: suppliciorum nempe diversitas, pro criminis, personarumque conditione, in violatores lege constituta, cui diversitati et asciarum varietas, ut infra patebit, mirifice consentit. Quid, quod *Ascia* etiam *funeraria* occurrit in *sericulae* modum (italice *Manarino*), de qua

(a) L. D. *eodem*.
(b) *In Formul. spiritual. Cap.* 8.

paullo infra, et qua nihil opportunius, sive *capitis*, sive *manus amputationi?* Forma haec conspicitur media initiales inter D. M. tituli, quem ad Muratorium transmisit Bimardius:

D. M.
BAEBIAE. CRATINAE
AELIA. FORTVNATA
MATER. P. C

Nec felicius, quod idem Muratorius observat, *poenae capitalis* nusquam in titulis iniectam mentionem. Quid hoc opus erat? constituta siquidem legibus erat, cuius post et in marmoribus iusta aliqua de causa recordatio, et comminatio renovari potuit. Sed sint haec praeludiorum instar. Rem nunc cominus adgrediamur.

Formula *sub Ascia dedicavit* fere titulorum fini apponitur, unum si excipias, in quo est: SVB. ASCIA. POSVIT (a): nec dubium, quin τὸ *posuit* idem sit, ac *dedicavit*. Fronti ex adverso sic adscribitur: D. X. M. In uno tamen, quod recitare ex integro libet, sic:

(a) Pag. 760. n. 5.

D. ET. χ. M
MEMORIAE. AETERNAE
MATTONI. RESTITVTI. CIVIS
TRIBOCI. NEGOTIATORIS
ARTIS. MACELLARIAE. HO
MINIS. PROBISSIMI. QVI. DE
FVNCTVS. EST. ANN. XXXX
MEN. III. D. XVIII.
RVTTONIA. MARTIOLA. CoN
IVNX. QVAE. CVM. EO. VIXIT
ANN. VIIII. D. VII. SINE. VL
LA. ANIMI. LAESIONE. ET
MATTONIVS. GERMANVS
RELICTVS. A. PATRE. ANN. IIII
MEN. I. D. XII. ET. MATTONIVS
RESPECTINVS. MENS. VIIII
FILI ET. HEREDES. PONEN
DVM. CVRAVERVNT. SI
BI. VIVI. SVB. ASCIA
DEDICAVERVNT (a).

Plura notatu digna in hoc marmore, quae et aliis similibus aequo iure accomodanda.

(a) Grut. Pag. 647 n. 5.

Titulos adscribi monumentis, haud *coeptis*, sed *absolutis*, nemo sanus inficias ierit, praesertim, ubi de monumento sermo sit, quod sibi quis *vivus fecit*, quale hoc nostrum.

Voces *posuit*, *fecit*, in re lapidaria in primis, nusquam usurpatas invenies, nisi in significationem *operis perfecti*, *absolutique*, numquam *coepti*, *incoative*, ut qui aliter accipiat, hic rem epigraphicam publicam omnem intervertat. Atqui in titulo allato est: *Ponendum curaverunt.* Utique *monumentum* cum *titulo.* Formula igitur *sub ascia* in eo quidvis potius erit, quam *sub trulla*, seu *sotto la cazzuola.*

Quid deinde facies *Asciae* signo insculpto inter initiales D, et M? Symbolum, inquies, mere ὀπτικον, minime φωνητικον. Dabimus. Verum ecquid iterum facies symbolo eidem insculpto, ut in titulo nuper recitato, post D, coniunctionemque ET, quam consequitur litera M? Symbolum utique, repones, sepulcri *dedicati* quidem, sed adhuc *imperfecti.* Esto. Sensus igitur erit: *Monumentum sacrum Diis Manibus*, *et monumento*, *seu sepulcro*, *imperfecto*, et tamen *dedicato* Quo quid ineptius, et ἀλο-

γον magis? Et nisi fallit auguralis disciplina, scopulum hunc suspexit procul Classis archaicae totius Praefectus, horum prudentissimus; ad eumque declinandum, quasi praeternavigans, subinsinuat, singulariam S. (i. e. *sacrum*) *abesse a monumentis*, *quibus inscriptum*: *SUB ASCIA DEDICAVIT*. Nihil tamen proficit: subintelligitur enim, ut notum cuivis. Fac autem e regione, *Asciam* symbolum esse poenae alicuius, qua in tumulorum eversores foret deinceps animadvertendum: iam pulcre tibi hanc rem omnem explicatam habebis. Sensus namque erit, sepulcrum esse sub tutela Deorum Manium, et poenae alicuius infligendae, si quis violare ausus esset.

Ad rem eamdem insinuandam ὀυδεν ἐυκαιροτερον, quam quod sequitur:

D. M
P. PRIMIVS
ECLECTIANVS
P. PRIMI. CVPITI
LIB. QVI. VT. HABE
RET. VIVVS. SIBI
POSVIT. ET. SVB
ASCIA. DEDIC
DOMVI. AETERNAE (a).

Nullus hic cavillandi locus. *Eclectianus vivit* : *vivusque sibi posuit* monumentum, *quod haberet*, scilicet cum fato concederet. Monumentum idcirco quaque sui parte *perfectum*, *absolutumque* est. Tò igitur *sub Ascia* alia omnia insinuat ab *opere coepto*, *inchoatoque*. Dicitur autem ET. SVB. ASCIA. DEDIC. nempe *dedicandum* conditoris sui morte, qua intercedente, monumentum, utpote iam *dedicatum*, revera *religiosum* fiebat. Quaenam nunc, interrogabis, poena haec, cuius metus sub *Asciae* typo iniiciebatur? Cui interrogationi paucis, more nostro, satis faciendum curabimus.

Ascia, et *Securis*, formidolosa plane instru-

(a) Pag. 991. n. 4.

menta, quibus, ut supra est adnotatum ex S. Encherio, *impiorum persecutio* adumbratur; notumque illud Psalm. 73. *in Securi, et Ascia deiecerunt eam.* Romanis certe Magistratibus *Fasces cum Securibus* supremae potestatis indicium erant, et in Tenediorum numis *Securis* in eamdem vim, typi loco, usurpatur. Romanis autem legibus, qui sepulcra violassent, si humiliores essent, capite plectebantur: cum nobilioribus mitius aliquanto actum. Praestat audire Gutherium (a): *si quis cadavera in monumentis spoliasset, metalli poena plectebatur* (b); *quae poena posterioribus temporibus* MANVS AMPVTATIO *fuit.* De quo posteriori poenae genere sic Harmenopulus (c): Οἱ τοὺς νεκροὺς ἐν τοῖς τάφοις ἐκδύοντες χειροκοπείσθωσαν. *Qui cadavera in sepulcris despoliant, iis manus praecidatur.* Et quando huc demum evasit oratio, nihil est, quod ultra moratur, quin tripodis huius cortinam omnem retegamus:

Nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur (d).

(a) *De Iur. Man.* L. II. Cap. 32.

(b) L. VI. Tit. VI. §. 17.

(c) L. III. §. *advers. D. de sepulcror. violator.*

(d) *Poenul.* Act. IV. Sc. 2.

Antiquis legibus, praeter supplicium capitale in sepulcrorum violatores, et *metallorum* poena, et *manus amputatio* sancita est. Vide nunc, ut triplici huic poenarum generi *asciarum funebrium* formae, quas nosse hactenus datum est, suo quaeque modo, mirifice respondeant. Nam instrumentorum eiusmodi triplex constitui genus praecipuum potest, ex ipsiusmet Mazochii τοῖς σχήμασι excerptum. Primum, idque communissimum, earum, quae *materiariorum* peculiares sunt, et quarum nullus usus erat in sepulcris, quae opere *caementitio*, aut *marmorato*, aut *lateritio*, aut *composito* constabant. Et haec *Asciae lignariae* forma idcirco fortasse in titulis communior, quod in monumentorum violatores *manus praecipue amputatione* animadvertebatur. Vide fig. I. Alterum illarum, quae *Sericulam* exhibent, acie plerumque recta, rarius convexa, qualis illorum, qui vernacule *Manarini*, quod instrumentum *poenae capitali* sine controversia aptissimum. Vide Fig. 2. 3. Tertium denique illarum, quae *Lapicidis* in usu sunt, et quarum iterum species bifaria. Quaedam enim malleum gravem referunt, capitatum ex una parte, acutum ex altera, cum

manubrio interdum breviore, interdum longiore. Vid. fig. 4. et 5. *Asciae* huius cuspis quandoque est recurva, cuius curvitatis usum se minime adsequi, profitetur ingenue Mazochius noster. At in fodinis aperiendis, quae *metallorum poena*, curvitatis huius utilitas maxima. Siquidem aucta per curvitatem distantia a momento, augetur et vis; et curvitatis praeterea ipsius ope, non recta tantum, sed et ex transverso quoque vis infertur lapidibus imminuendis. Videsis apud Aringhium (a) Viri effigiem, qui ad lucernae lumen rupem effodit. Praecinctus est Vir hic, et vultu subtristis, manu utraque tenens erectum instrumentum eiusmodi, manubrio praelongo munitum, quem sine cunctatione Christianum arbitramur *ad metalla damnatum*. Huius *asciae* speciem vide et apud Ruinartum (b). Postrema *asciarum* species ad *Ligonum* (vulgo *Zappetti*) classem referri potest. Vide Fig. 6. et 7. Quae omnia si quis sibi oculis subiiciat fidelibus, animumque conceptis ante praeiudiciis exuerit, primo intelliget, prius, atque alterum *A-*

(a) *Rom. Subterr.* Pag. 101.

(b) *Act. sinc. Martyr.* Amstelaed. 1713.

sciarum genus aptissimum sive *capitis*, sive *manus praecisioni*. Videbit deinde, tertium ipsarum genus *fodinis aperiendis* apprime utile, ac necessarium. Prioris quippe Asciae *capite* tunduntur, conterunturque saxorum partes extimae. Versa postea cuspis ipsorum venis, ad instar cunei, infunditur, quo disiiciantur frusta ante contusa, aut diffracta. Altero autem ligonum genere (*zappetti*) concretiones molliores facili negotio et fodiuntur, et loco dimoventur. Sed assularum, ramentorumque acervi circum congesti Lapicidis moram faciant, ut ea operae aliae coadunata Asciarum posterioris speciei adminiculo procul ab iisdem avertant corbibus alio asportanda. Quarum τᾶν 'αξιναν septima crassioribus fragmentis, sexta frustis minutioribus veluti everrendis opportunissima. *Asciis* item huiusmodi cum longis manubriis videas apud Aringhium (a) Viros duos e regione positos, in rupem vim facere, quas iure eodem ad *Fodinas* esse referendas, nihil videtur dubitandum. Nihil igitur novi in toto hoc negotio molitur Praetor edicto suo praetorio in sepulcrorum violatores: sed veteris

(a) Pag. 63. et 67.

tantum iuris tum memoriam renovat, cum observantiam restituit, cuius desuetudo audaciores fecerat homines impios, suaeque mortalitatis oblitos. Mazochii nunc tela depellenda, ne soli in arenam et descendisse, et depugnasse, videamur.

§. II.

Mazochii obiectiones refelluntur.

1. Titulum affert in medium, et *io triumphe!* canit. Titulus est huiusmodi:

M. AVRELIVS. AFRODISVS. AVG. LIB
NOMENCLATOR. SE. VIVO. AB. ASCIA
FECIT. MONIMENTVM. MVRO. CIN-
TVM. SIBI. ET. SVIS. ET. AVRELIAE. HEDO-
NETI. CONIVGI. ET. M. AVRELIO
REGINO. AVG. LIB. NOMENCLATORI
AB. AMISSIONE. FILIO. DVLCISSIMO
QVI. VIXIT. ANNIS. XXIII. MENSIBVS. XI
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POS
TERISQVE. EORVM. MONIMENTVS
IN. AGR. P. XV. IN. F. P. X. AB. ANTE. LON
P. XIS. LATV. P. XIIIS

* Sic. Corr. *Admissione*. Totus incumbit vir doctissimus in voculas AB ASCIA, asciamque aedificatorum *διακρìτικὴν* insinuatam contendit. At formulae huius, pro re praesenti, sensus sine controversia est; monumentum ab Aurelio incoeptum a primis, si ita loqui fas est, sui exordiis ad plenissimam usque sui consummationem esse perductum. Atqui quo monumentum sic inchoetur, non *Ascia* aedificatorum propria opus est, qualem Mazochius praesumit, sed *fossoria* potius, qua caedenda, dissolvendaque humus deducendis fundamentorum fossis. Quocirca τὸ *ab Ascia* recte est a Muratorio redditum: *a fundamentis.* Quid ad haec Symmachus? *Quaero*, inquit, *quid sit istuc a fundamentis?* Id vero minus cogitate. Reponeret enim Muratorius: *quid istuc* SVB ASCIA, idest *sotto la cazzuola*, ut ille interpretatur? *Metonymice* videlicet utrimque: *causa*, seu *instrumentum* pro *effectu.*

Sed pergit interea noster, cedere nescius. *Si vox a fundamentis designat humi egestionem adminiculo Asciae... inepte usurparunt veteres ῥήσεις istas: fundamenta iacere, ponere, locare, substruere, qui potius debuissent dicere: fundamenta eruere, egerere.* Sed

pace viri tanti, utrumque ὁ περ τ''αρρητον 'αμεινον. Primum namque *ascia fossoria* non *egeritur*, sed *defoditur* humus, corbibus post, cophinisque *egerenda*, alioque traducenda. Deinde *fundamenta eruere* est, fundamenta ipsa *convellere*, *evertere*, *disiicere*, quae contra *iaci*, *poni*, *locari* dicuntur, cum calce, lapidibus, caementis fossae ad id deductae complentur: nam *substrui* vere intelliguntur, cum *struendo subtus* fulciuntur, aut instaurantur. Verum enimvero eius palato non sapit *facere ab ascia*. Malum! Eccur sapit, *esse sub Ascia?* Apud Gruterum est: EMIT. A. SOLO. OLL. III. idest *ollas tres una cum illarum solo*, seu deducto initio *a solo*; quae sane duae locutiones *emendi a solo*, et *faciendi ab ascia* palam, amiceque inter se sororiantur, ut, qui alterutram admittit, et alteram is amplecti, cogatur. Ita placitum magis, obiectionem hanc diluere, quam nodum secare, si nodus est, nisi in scirpo. Excipi namque poterat, Antinorianum hunc titulum supparem se Aurelii prodere temporibus, quod ex Liberti nominibus evidens est.

2. Nec magis firmum sibi praesidium arces-

sit vir praeclarissimus ab epigrammate alio, quod Martorellio, nunc *amicissimo*, acceptum refert. Praestat illud audire, ut a Mazochio ipso repurgatum accepimus:

HVNC. MVNIMENTVM
IN. FRONTE. P. XIII. IN. AGRO
P. XVI. A. SOLO. ET. AB. ASCIA
AELIA. IPHIGENIA. TI. CL. L*ib*.
ZENATI. MEMORIAM
MARITO. SVO. DVLCISSIMO
ET. SIBI. LIBERTIS. LIBER
TABVS. QVE. POSTERISQVE
EORVM. FECIT

Neutri allatorum τῶν ἐπιγραμμάτων *ascia* insculpta, ut ne cui in mentem veniat, quidpiam his commune intercedere cum formula *dedicandi sub ascia*. Et hoc amplius observandum: τὰ *facere a Solo*, *et ab Ascia* iam ab Aureliana tempestate ad Tiberii Claudii tempora transcendisse. Nunc quid titulo huic commentando inaedificet Mazochius pro domo sua, videamus.

Vides, sic ille infit (a), *in hac epigraphe duas locutiones* κατ' ἐξήγησιν *inculcatas*: A.

(a) *Cur. posterior.* pag. 304.

SOLO. ET. AB. ASCIA. *quo minus dubitandi locus sit*, *quin verissima sit interpretatio τοῦ ab Ascia*, *quam in tituli Antinoriani explicatione protulimus*. Addidisset: *si Superis placet*. Quippe non κατ' ἐξεγησιν, ut sibi gratis sumit, τῷ *a solo* additum et *ab ascia*: sed omnino ut duae res inter se diversae inculcarentur. Aliud enim est *a solo*, aliud *ab ascia facere*. *Fit*, seu *excitatur a solo* id, cuius ante *iacta* iam sunt fundamenta. *Fit ab ascia*(utique *fossoria*) id, cuius ipsae fundamentorum fossae sunt ope instrumenti huius deducendae. Hinc *facere ab ascia*, uti optime Muratorius, est *excitare a fundamentis*.

3. In explicationis suae subsidium et illud advocat ὁ λαμπροτατος e Fletvvoodo (a) exceptum: praecisumque ab iis, quibus complementi loco ad finem subnectitur:

CONSVMMATVM. HOC. OPVS. SVB. ASCIA. EST

Sed etiam sic, quo causae suae emolumento non satis adsequimur. Nam si *consummatum opus est*, iam *sub Ascia esse* desiit. *Consummare* siquidem, si vim vocis stricti iuris per-

---

(a) Pag. 141. n. 3.

pendas, sonat *perficere*, et *absolvere numeris omnibus*. Tò igitur *sub ascia* alio intendit, quam quo invitum pertrahere conatur Mazochius.

Sed noster *τὸ consummatum* largius hic accipiendum praecipit pro eo, quod est *dedicatum*. Ita nimirum, cum semel animo praeiudicium insederit, omnia fiunt cerea, et inflectas quocunque velis. Verum esto et id tantisper. Liceat percontari: ecquid Praetori propositum novae huius formulae praescriptione? De sepulcro videlicet admonere iam *religioso*, etsi *imperfecto*, uti Mazochio placet. At sepulcrum ponitur iam *religiosum*, utpote *consummatum*, quod eidem hoc in casu est *dedicatum*, illatione videlicet cadaveris *Rufiae filiae*. Otiose igitur, penitusque supervacanee additum: *sub ascia*. Verum eccur heic in ungue moramur? In particula videlicet desecta marmoris pretii quantivis, quod mirabamur, non fuisse integrum a V. C. allatum. Scilicet si attulisset integrum, parum prudenter consuluisset causae suae. Marmor, ut a Reinesio refertur (a), tale est:

(a) Clas. VI. n. CXII. p. 452.

MEMORIAE
AETERNAE
RVFIVS. CATVLVS
CVRATOR. NRVIII. VIVVS
SIBI. ET. RVFFIANO. E. RVF. PVPAE
ET. RVFIAE. SAGIRIATAE. FIL. DEFVNCTAE
ANNOR. XXII.
AEDICIAM.* CVM. VINEA. ET. MVRIS. AD. OPVS
CONSVMMANDVM. ET. AD. TVTELAM. EIVS
ET. AD. CENAM
OMNIBVS. RICONTIS.* PONENDAM. XI. FIN.
PERPET.
SICVTI. ET. RVDECAM. I. O.* CONSVMMATVM.
HOC. OPVS
SVB. ASCIA. EST
HAEC. O. S. E. H. N. S

NRVII. restituitur a Reinesio: *Kalendarii.* Forte: N. REIP. i. e. *nostrae reip.* Tò SAGIRIATAE commutat cum *Satyriola.* Tutius, nil sollicitare. Si mutandi cupido, *Syncerastam*, vel potius *Sagaristiam* advoca e Plautino seu *Syncerasto*, seu *Sagaristione.* Recudit deinde XI. FIN. PERPET. in KL. FEB. PERPETVO. Cur haec, uti prostant, non intelligenda de XI. *finibus*, seu *terminis*, iisque *perpetuis*, idest *continuis*, non *interruptis*, sive *intercisis*, quibus *Aedicu-*

la cum vinea, *et muris* concludebatur *ad opus consummandum?*

* AEDICIAM. Corr. *Aediclam*, non *Aedificium*, ut Reinesius facit.

* RICONTIS. Reinesius reddit *incolis*. Fortasse *quotannis*.

* RVDECAM I. O. *Rudeca*, quae et *ridica*, pedamentum palandis vineis. Quid I. O? *in opus* scilicet.

Initiales ultimae lineae sic ab eodem scitissime redditae: *Haec Ollarum Schola Extran. Hered. non. sequitur*. Nunc ad rem.

Vides, ut OPVS. CONSVMMANDVM a *Rufio vivo* demum *consummatum* asseritur, pleneque absolutum ab *eodem vivente*. Nec inibi, praeter filiam defunctam annorum XXII. alii inferri contigerat. Tò itaque SVB. ASCIA. symbolum minime habendum *operis imperfecti*. Nam si τὸ *consummandum* lineae 8 est sine controversia, quod dicimus, intelligimusque *perficiendum*; cur et *consummatum* lineae antepenultimae, illi e regione positum, quidvis aliud erit, quam *perfectum*, *absolutumque?* Quid igitur in fine τὸ *sub ascia* additum? Iure prorsus, meritoque. Monumentum namque sic *perfectum*, *consum-*

matumque, iam *dedicari*, *consecrarique* contigerat illatione cadaveris *Rufiae Filiae*, indeque sub Legum tutela receptum. Eaque de causa, consulto omissa voce *dedicavit*, concluditur: *consummatum hoc opus sub ascia est*, quae *impiorum persecutio* est, ut iam dudum nos monitos Eucherius voluit.

Unde porro rescitum Mazochio, quibusve momentis suadebit, ab antiquis inferri cadavera consuevisse, et quidem *illatione perpetua*, in monumenta nondum *absoluta?* Profecto si procul a patriis Laribus quis obiisset, aut alia causa quaevis intercessisset, cadavera *precario* commendari solebant loco alicui, unde porro transferenda, ubi domus illorum *aeterna*, ut dicere amabant, fuerat constituta. Cur igitur alias inter *sepulturae praecariae* causas, monumenta nondum *perfecta* numerare pigeat, in quae fas non erat cadavera inferre, illatione perpetua praesertim?

Paucis: Mazochiana celeberrima expositio vel nullam τὄυ προβλήματος solvendi, vel minime idoneam causam affert.

Nec interim, quae hactenus edisseruimus, tanti esse arbitramur, ut adversae sententiae fi-

dem omnem evertant: sed sua certe probabilitate non carent; nec quod contra opere tanto contendit olim vir summus, in demonstratis haberi dehinc poterit. Quae si ita sint, non satis caute ii procedere videntur, qui tanti viri unice auctoritate confisi, si in quid novum inciderint, quod nondum perfectum sit, statim *sub Ascia dedicatum* canunt. Saltem intra unius rei funerariae fines formulae huius usum, si quando id factu opus fuerat, coercuissent! At hi ex adverso ad laetiora etiam, et splendidiora invitam trahunt, quod numquam veteribus factum, uti recte est a Muratorio quoque ante observatum. Id autem utrum adornare ea sit, an funerare magis, aliorum esto iudicium.

Et hactenus Mabillonii litatum Manibus, quos si cui violare libitum fuerit, nullum huic *ab ascia* nostra periculum timendum, si modo nihil in se *ascia* dignum admiserit.

CAP. II.

EXERCITATIONVM SPECIMEN PRIMVM IN GRVTERIANA QVAEDAM.

§. I.

Gruteriana pervolutanti, et in plura offendenti saepe numero, quae caput scabere cogunt, doluit, nondum abs viris eruditis initum consilium de iis ordine illustrandis, quo immensi laboris opus non veteranis dumtaxat iucundius, sed et tironibus multo molestum minus, longeque utilius fieret, qui praesidio tali rei fere epigraphicae totius summam sensim sine sensu essent adsequuturi. Fatendum enimvero, in multis rem esse conclamatam; in plerisque vix superesse, quod speres. Sed plura interim sunt sparsim a viris doctis emaculata, vel exposita, quae in unum patienter collecta labori partem demerent minime levem. Quamquam et seorsum ab his quoque, suscepti oneris haud profecto poenitendum. Plurima siquidem extant, quibus, si aliud cum alio scite conferatur, opis non parum, lucisque inferri facile queat. Nec factu

id difficile admodum videri, si programmate, veluti edicto praetorio, praemisso, suam quisque symbolam et verbo polliceatur, et opere praestet. Nec ipsi, si tanti putamur, laboris partem aliquam sortito, aut extra sortem, essemus detrectaturi, si modo vires attritae, aetasque collabescens patiantur. Visum idcirco, periculi huius, non sine periculo nostro, specimen aliquod heic exhibere, quo caeterorum studia ad haec incendantur, Gruteri ordine sancte servato, quod pergratum lectoribus futurum certo confidimus. A *Sacris* itque principium.

Ad latus tituli cuiusdam sic inscribitur

I.

S V B
SCRIBA
FONTEIO
EVTYCILO (a).

Trigam characterum lin. 1 Scaliger pro siglis habet, easque tamquam ἀνεκφράστους dimittit. Fortasse nihil tale. Cur enim tres hi characteres non in unum coalescant, praepositionemque *sub*

(a) Pag. 16. n. 12.

sine nucleo exhibeant? Nisi forte placeat, eos trahere ad lineam sequentem, ut sit *Subscriba*, uti *Suboptio*, quod in nos minime recipimus.

2.

VICTORIAE
ET
FORTVNAE
AVGVSTAE
MARCVS
AVRE
MAXIMVS
I. I. A V. P. (a).

Silet de singulariis Scaliger, quae fortasse sic recudendae: I. L; vel potius: L. L. In Gruteri quippe *praeclaro opere*, ut opportune Spanhemius (b), *transpositiones et errores numerorum* (quidni et siglarum?) *et notarum iam alii*, *ac nos etiam*, notavimus. Nunc ad rem nostram. Si primum velis, erit: *iure libens animo vot. posuit*. Sin alterum, quod vero propius, habebis: *libentissime aram vot. pos*; de quo confer Gruterum ipsum (c).

(a) Pag. 102. n. 10.

(b) *De praestant. et. us. Numism.* Diss. VIII.

(c) Pag. 108. n. 6. et 109 n. 2.

3.

GENIO. ORD
QVEM. VLP. DOM
HERMES. AVG. COL
OB. HONOREM. ORNAM
DEC. PROMISERAT
T. P. S. L
VAL. TRAEPTVS. ET
DOMITI
REGVLVS. HIPPONICVS
HERMES. ONESIMVS
AVG. COL. N. P. C.
L. D. D. D. (a).

Nimirum hic idem ille *Vlpius*, *Domitii Libertus*, *Hermes*, qui ab impetratis *ornamentis Decurionalibus*, Minervae Augustae gratias agit:

Minervae. Aug.
Vlp. Domit. Her
mes. Aug. Col.
Ornatus. Or-
nam. Decur. (b)

(a) Pag. 110. n. 1.
(b) Pag. 81. n. 7.

Expendendae nunc initiales versus sexti, quas Scaliger missas facit. In quam rem adnotare praestiterit, Ulpium Hermetem unum extitisse ex Augustalium Collegio, qui Domitii Liberti omnes, excepto L. Valerio Traepto. *Hermes* igitur, Collega Augustalis, *Genio Ordinis Augustalium*, nescias quid, *promiserat*, si *ornamenta Decurionalia* foret adeptus. Voti compos factus, quod *testamento proprio sumptu* pollicitus fuerat, una cum Collegis quatuor, *nomine communi*, exsolvit. Sic igitur continenter legendus videtur titulus omnis:

Genio Ordinis
Quem. Vlpius. Domitius
Hermes. Augustal. Collega
Ob. honorem. Ornamentorum
Decurionalium. promiserat
Testamento. prop. Sump. L.
Valerius. Traeptus. et
Domitii
Regulus. Hipponicus
HERMES. *Onesimus*
Augustal. Colleg. nomine. pon. curarunt
Loc. dat. decr. Dec.

4.

GENIO. MVNICIPI. NESCANIENSIS
L. POSTVMIVS. STILICON. NESCANIENSIS
SIGNVM.AEREVM.PECVNIA. SVA.EX. H-S. clↃ. N
FIERI. ET. NESCANIAE. IN FORO PONI. IVSSIT
QVOT. DONVM. VT. CONSVMMARI. POSSET
M. CORNELIVS. NIGER. NESC. ET. FILIVS
ADIECTIS. DE. SVO AD. IMPENSAS
OPERIS. L. H-S.P.C.S.N. CVM. AL.DEDICAVIT (a).

Scaligero τά ἄφατα καὶ ἀδιήγητα P. C. S. N. CVM. AL. Nec nos certa ex tripode pollicemur. Coniecturas meras afferimus in hanc sententiam. *Probatum concordi sententia Nescaniensium cum altari dedicavit.*

5.

S. A. S. PROSAT
AQVILINI
VILLICI. AGG.
ET. TITI. IVLI
AQVILINI
IVLIA
STRATONICI (b).

(a) Pag. 110. n. 9.
(b) Pag. 115. n. 7.

Quid istuc PROSAT? Divide, et corrige: *Pro. sal.* Quid hoc alterum AGG? Refinge: AVG. Quid denique S. A. S.? redde: *Soli aeterno sacrum*, et vadem habeto Gruterum ipsum (a).

6.

H. V. D.
ARG. P. X
POMPONIA. ZMYRNA
TESTAMENTO. D (b).

Zmyrna pro *Smyrna*, alternante passim Zeta cum sibilo. Titulum hunc verbis iisdem producit alio loco (c) Gruterus, cui alterum hunc adiectum videas:

POMPONIA
BVTEONIS
H. V. D. ARG. P. X
EX. TESTAMENTO
D

Singulariae autem sic reddendae videntur: *Herculi Victori don.*

(a) Pag. 32. n. 11.
(b) Pag. 129. n. 16.
(c) Pag. 1076. n. 4.

7.

SOLI. DIVINO
L. APISOCIVS. SVCCISVS
PRO. SE. ET. PRO. PATRONIS
M. G. L. Q (a).
Nempe *Episociis quatuor*,
Marco, *Gaio*, *Lucio*, *Quinto*.

FUNEBRIA.

1.

DIS MANIBVS
MEMORIAE. C. REGVLI. MORIBVS
DECORE. NATALIBVS. DD. HYACINTHO
VEL. NARCISSO. COMPARANDI. QVI
VIXIT. AN. XII. M. III. TER. IN. PVBLICO
SPECTANT. S P. Q. TRAIANEN. QVATER
IN.CVRIA. SPECTANTE. IMP.M. ANTONINI
PROCOS. SALTAVIT. CANTAVIT. IOCIS
OMNES. OBLECTAVIT. CVNCTIS. PLACVIT
FELIX. REGVLVS. PATER. INFELIX
ANIMAE INNOCENTISSIMAE
L. H. L. D. (b).

(a) Pag. 1010. n. 8.
(b) Pag. 332. n. 2.

Initiales sic Scaliger exponit: *Locus huic liber datus.* Quid *locus* iste *liber* huc. faciat, edocendi eramus. Rectius fortasse: *Locum hunc lugens dedit.*

2.

P. AEL. GERMANO. VETER
EX. DEC. ET
CASSIAE. VALENTINAE
EIVS. ET
PVB. AELIIS. SABININIANO
ET. GERMANO. DECC. IV
COLONAIE. AQVILEIENSI
A MILITIIS. ET
P. VALENTINAE. SORORI
EQ. M. P. PAETVS. RVFINIVS
DEC. TR. ET. II, VIR. LEG. X. EQ
ALCETIENS. PER
FICI
CVRAVIT (a).

Recurrit alibi idem epigramma, nec minus improspere, hoc pacto:

(a) Pag. 345 n. 10.

P. AEL. GERMANO
VET. EX. DEC. ET
CASSIAE. VALENTINAE
EIVS. ET. PVBLIIS. AELIIS
SABINIANO. ET GERMANO
DEC. G. ID. COLONIAE
ET. P. VALENTINAE
SORORI. EQ. M. P
P. AELIVS. RVFINVS
DEC. ET. IIVIR. L. D. AL
CETIENS.
PERFICI. C (a).

Quid ex τῶν ἐκτύπον alterutro? nil, nisi portenta mera. Alteri ex altero medicinam sic facies:

P. Ael. Germano. Veter
Ex. Decurion. et
Cassiae. Valentinae
Eius. et. P. P. Aeliis
Sabiniano. et. Germano
Decurionib. Coloniae
Aquileiens. a. militiis
Et. P. Valentinae
Sorori. Equit. Matri

(a) Pag. 517. n. 1.

P. Aelius. Rufinus
Decur. et. IIvir. I. D. Al.
cetiensium
Perfici. curavit

De *Flamine Alcetiensi* consule Gruter. (a).

3.

CN. APRIVS. CN. F
CAESTRONIVS. IIII. VIR
I. D. V. F. A. P
Q. APR. SIBI. ET
CLODIAE. HEDONI. CONIVGI
SANCTISSIMAE. CVM. QVA
VIX. AN. XXXIX (b).

Initiales 2. et 3. lin. adhuc intentatae. Reddimus sic: *Iur. dic. Veron. fecit Aulo, Publio, Quinto Apriis.* Poterat V. reddi *vivus*: placuit *Veron.*, quod titulus *Veronensis* est.

(a) 345. n. 8.
(b) Pag. 369. n. 7.

4.

L. CLODIVS
L. F. PIVS. MARIAN
PRAEF. FABR
V. A. VIII. M. V. D. VI
HVIC STATVAM
ET. FL. P. D. D
S. H
MARIANVS. ET. PIA. DVLCISSIMO
FILIO (a).

Lucio huic Clodio ab utroque parente *nomina* adscita. Sed *Praefectum Fabrûm* annorum octo ultra menses quinque, diesque sex, credat Iudaeus Apella. Praemittenda annorum summae ad minus nota numerica X. De initialibus FL. P. D. D. nihil Scaliger. Redde: *flores publice decr. Dec.* Nihil item de siglis S. H. Interpretator: *Sepulcrum hoc.* Caetera fluunt sponte sua.

(a) Pag. 392. n. 6.

5.

M. AVREL
MACEDO
VET. NAT
DELM
EX. SVBOPT
SIBI. ET
AVRELIAE. VICTORIAE
LIBERTAE VIVVS
POSVIT
SI. QVIS. HANC. ARC
P. EX. F. S. S. S. S.
A. D. F. C (a).

Latitat in siglis poenae comminatio adversum sepulcri violatores. Sic itaque videntur exponendae: *Si quis hanc arcam privatam ex finibus suis, sicut scripti sunt, amoverit, Decurionum fide condemnetur*.

(a) Pag. 529. n. 2.

T. FLAVI. BARSI V.
ETER. ALAE. I. FL
∞. C. R............... LICI
MEMOR. FR
sic
ATRI. SVO. POSIT (a).

Patet hiatus in linea quarta. Implebis, si in hunc animum intenderis:

T. F. VERECVNDO
MAG. EQVES. ALAE
I. FL. AVG. BRIT. ∞
C. R. IVR. ITALICI. AN
XXXX. S. * XIX. ISES. PRO   * *Stip.*
TE. PRISCINVS. VEX *   * *Vexillar.*
ET. INGENVS. HERED (b).

Indeque disces ex *T. Flavio Verecundo*, *Magistro Equestris Alae primae Augustae Britannicae millenariae*, *civis romani iuris italici*, quid de Veterano *T. Flavio Barso* sentiendum sit. Vrbes autem *iuris italici*, quod *iuri Latino* longe concedebant *a censu soli*, *et capitis immunes erant*.

(a) Pag. 541. n. 8.
(b) Pag. 640. n. 6.

7.

D. M.
T. FL. IVCVNDO
ER. * LEG. XXX. VLP * *Erogatori*
FLAVI. FRVCT
SETVICTORO
ER. LEG. EIVSDEM
HERED. F. C (a).

Lineae 3. et 4. sic legendae :. *Flavii* (nempe *duo*) *Fructus* , *et Victor*.

8.

L. GAVIO
ROMANO
TORMENTIN
VIBIO
SECVNDO. TRIB
MIL. LEG. III. AVG
F. P. H. C
D. D. (b).

Legio III. *Augusta* notissima. *Fidelem* , seu *Felicem* nuncupatam nusquam meminimus. F igitur versus 6. pro P irrepsisse, pronum est co-

---

(a) Pag. 541. n. 11.
(b) Pag. 543. n. 7.

gitare. Qnod si collineet, singularias reddes sic: *Praesidi Prov. Hispan. Citerior. dec. Decur.*

9.

D. M.
VALERIE. IVSTINE
NATA. CONVENA
AQVITANIA. VIXIT
ANN. XX. M. V. N. VA
LERIANVS. MIL. COH
III. PR. 7. FELICIS
C. I. O. N. B. M. F (a).

Valerie Iustine, nominandi casus. Duo facessunt negotium. I. Quid *nata convena Aquitania?* nam si *nata Aquitaniae*, *convena* profecto dici non potest. *Nata* idcirco pro *filia* intelligenda, ne cum *matre* cognomine confundatur, et *convena*, Plautino palato ἐις τῆν συνουσιαν, quod Aquitaniae *convenerat* cum milite Numerio Valeriano.

Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,
Qui amantes una inter se facerem CONVENIRE (b).

(a) Pag. 564. n. 2.
(b) *Mil. Act.* II. Sc. 1.

Utroque igitur sensu Iustina hic dicta *convena*, quae si aliunde dumtaxat in Aquitaniam *venisset*, dicenda *advena* fuerat. In quas voces et id foenusculi loco. Utraque generis utriusque, ut *agricola*, *accola*, *incola*, *alienigena*, *indigena*, *scriba*.

II. Alterum, quod iter impedit, sunt initiales C. I. O. N. quae Scaligero sunt: *Civium illius omnium nomine*. At Valeria non *Aquitaniae civis* fuerat, sed *advena* dumtaxat, et Valeriani non *iusta coniux*, sed *convena*, seu *Concubina*. Rectius fortasse sic: *Convenae iure optimo nolens*. Mulieres autem huiusmodi *contubernales* passim et *Coniuges* dictas, norunt omnes.

10.

D. M
MAECIAE. L. F. DYNATE
EX. TESTAMENT. ET DONAT. T. C. *
L. MAECIVS. L. F. HERMAGORAS
PATER. MAECIA. FLORA. MATER
TONSTRIX. L. MAECIVS. L. F. RVSTICVS
FRATER. LANARIVS. AD. VIC. FORT.
FORTVN. > AGRVM. SIVE. HORT. ĪĪI
CVM.TABER. ĪĪI. ITEM. AEDIFICI. INCOHA.
RESP. ĪĪI. GRAT. H. E. * PROX. SACEL. D.
ISID. ET. ALIA. TABER. AB. VLTR.
VIC. TRIARI. QVOT. EST. INTR.
IT. FONS. MARIAN. HER.
COMP. SIC. V. A. L. E
IN. H. T. SVNT. COM. OR.
H. S. (a).

* *Tituli Curat.*

* *Hoc est.*

Tituli Curatores tres. 1. *L. Maecius Hermagoras*, *Pater Maeciae Dynates* defunctae. 2. *Maecia Flora*, eiusdem *Mater*, professione *Tonstrix*. 3. *L. Maecius Rusticus*, *Frater*,

(a) Pag. 579. n. 8.

qui *lanariam* exercebat ad *Vicum Fortis Fortunae*. Hi in titulo apparando quaedam praestant *ex Testamenti* praescripto, quaedam ex *donatione* propria.

Comparavere itaque (haec vis notae >) *agrum*, *sive hortos tres* cum *Tabernis tribus*, et *aedificia* nonnulla *inchoata*, non absoluta, *respicientia tres Gratias*, *proxime sacellum Deae Isidis*. Comparata, sive *empta*, in eumdem effectum et *Taberna alia ultra Vicum Triarii*, *quot est intr.* idest: *quantum est introrsus*. Comparatus denique *Fons Marianus Herculis*; sic enim reddenda videtur vox decurtata HER. cui *Fontes sacri* in Hylae memoriam.

Sed terni versus postremi cogunt ungues arrodere. Infelix operis summa Scaliger, qui omisso versu antepenultimo, sic penultimum, ultimumque explicat: *in hoc titulo sunt comprehensa ornamenta huius sepulcri*. Sed quo glutine haec cum versu antepenultimo compingat?

Nî mens laeva est, plane ἀτοπῶς incurrunt initial. V.A.L. quae esse videntur - *vix. ann.* 50; nec τῶν ςφαλματων eiusmodi, quadratariorum incuria, infrequens casus. Resectis igitur initialibus his-

ce, locoque suo redditis, supererunt: COM. SIC. E. IN. H. T. SVNT. COM. OR. H. S; quae donec exploratiora contingant, sic reddas: *Comparata sic ea in hered. tutel. sunt. commod. ornat. huius sepulcri.*

11.

D. M
HERMOGORO. FLORO. ET
EVCHARIDE. PACONIAE
LIB. KARISS
HERMOGORVS. FELIX. AVG
NOMENCLATOR
P. H. M. N. H (a).

Nihil de siglis Scaliger. Ita videntur explicandae: *Posuit hoc monumentum novum Heres.*

12.

MAMMONIA MATER. TRIV
V. F. SIBI. ET
C. SEMPRONIO. SECVNDO
MAR. D. SOL. ET
C. SEMPRO. SECVNDINO
FIL. LIBR. COS
AN. VIIII (b).

(a) Pag. 599. n. 3.
(b) Pag. 625. n. 6.

TRIV pro *trium*, ut *latu* pro *latum*, quod olim M in fine vix, aut ne vix quidem pronuntiabatur. Immo ab antiquâ Romanorum scriptura nummaria abest omnino (a). Veteri lege, *trium Liberorum parentes* et in honore habiti, et privilegiis aucti. Linea quarta forte sic exponenda: *Marito*, *Decurioni Soliensi*. De *Soliensi* consule Gruterum (b). An *Solienses* sic dicti ab Urbe *Solis*, quae post a magno Pompeio *Pompeiopolis* (c)?

13.

. . . .

ARTIS. CRETAR. DEF. QVI. VIXIT
AN. XXX. M. II ET. AMATORIE ANI
MVLAE. MATRI. EIVS. VIVAE. Q. C. A
RATVLLIVS. AMATOR. FRATRI ET MAT
RI. P. C. O. S. V. T. I (d).

Epigramma capite multatum, quod facile sic integrandum, expediendumque:

... *Aratullio. Negotiat.*

(a) Vid. Spanhem. *de praest. et us. num.* Diss. II.
(b) Pag. 201. n. 5.
(c) Vid. Spanhem. Diss. VI.
(d) Pag. 642. n. 2.

Artis cretariae. defuncto. Qui vixit An. XXX. *M.* Π. *et Amatoriae Animulae, Matri eius vivae, Quietorium C. Aratullius Amatorius Fratri, et Matri Pon. Cur. omni. Sumptu. ut. Testam. iussus.*

14.

AVRELIVS
ENDOTVS M
TEX. > SIBI. ET X
ELIAE. AQVILIAE E
CONIVGI. DVLCISS L
VIVVS. POS
P. E. S. S. A. V. D. H (a).

De singulariis dextrorsum haec in promptu: *Mihi* χαιρε *Elia longum*, si ex augurato illud succurrit:

Et longum, formose, vale, vale, inquit, Iöla.

Aurelius textoriam videtur fecisse. Nota > hic est *comparatum*, seu *emptum*. De singulariis nullum esto vadimonium. Si lubet, expedias sic: *Pro Elia supra scripta, absque ulla deductione, Heres.*

(a) Pag. 651. n. 4.

15.

. . . . . .
VXORI
M. ALLIO. M. F. FESTO
FILIO
HOSTILIAE. C. L. SEVERAE
N. F. F. N. S. N. C (a).

Monumentum minime *familiare*, sed *singulare*. Inde initiales in hanc fortasse sententiam accipiendae: *Nomen Familiarum non sequitur nostrum Conditorium*.

16.

HORTVLO. AEDICVL. SACELL. DISTEG.
SERVILIA. CINYRA. FECIT. SIBI. ET. M. SERVILIO. LIBE
RALI. OPTVMO. VIRO. SVO. PRO. PARTE. TERTIA
HS. ∞ Ψ N. SERVILIO. SERENO. ITEM. PRO. PAR
TE. TERT. HS. ∞ Ψ N. RVBRIAE. DIONE. ITEM. PRO
PARTE. TERTIA. ∞Ψ* N. ET. QVOS. I. F. C *9000. *N.*
H. S. IN. FR. P. XXIII. IN. AGR. P. XIIX
Q. CONDERE. VOL. DAB. IN. ARCAE. PONT. X ∞ NVM (b).

(a) Pag. 667. n. 10. (b) Pag. 827. n. 6.

Notae dimensionum IN. FR. et in AGR. quadratarii negligentia, plane ἀτόπως irruunt mediae lineam inter penultimam, atque ultimam. Cogitatione igitur alio transfer, ut reliqua ad finem usque continenter legas, de quibus sic videtur statuendum. Nemini ius, monumento inferri, praeter quatuor, qui in titulo cientur. Sepulcrum igitur *nec gentile* dicendum, nec *familiare*, nec *hereditarium*, nec alteri cuivis *commune*, sed omnino *singulare*. *Gentiles* porro dici quoque *cognatos*, non uno exemplo evinci potest, ut ne dubites in singularia C *cognatos* agnoscere. Quin et *communionis ius* insinuare queat, quale fuit *Libertorum*, de quo consule Gruterum (a). Quibus constitutis, initiales non absurde sic enodabis: *Et* (si) *quos iure Familiae*, *Cognationis* (vel *Communionis*), *Hereditatis*, *sive quovis*, *condere volent*, *dabunt inferend*. *Arcae Pontificum* HS. 1000. *Num.*

17.

FL. TERTVLLIA. ME
SA. F. L. MARITO (b).

(a) Pag. 964. n. 13.
(b) Pag. 833. n. 11.

Fortasse sic : *Flavio* , *Lucii filio* , *Marito.*

18.

D. M
C. IVL. OLIMPIAN
TERENT
LVCENTINA
TERENT
VALENTINES. LIB
SIBI. ET. SVO. CONIVG
AMATOR. REMANE. RENOVA
NOMEN. S. T. S. B (a).

Lucentina in extruendo monumento *sibi* , *et suo coniugi* hunc praeoptat sibi superstitem futurum. Defuncta adprecatur *coniugi*, sui *amatori* , ut *remaneat* , *renovetque nomen* , hoc est , ut non desinat dare operam liberis , quo *renovetur nomen*. Initiales redde sic : *Sit tibi semper bene.*

19.

P. VERNIVS. P. F
QVI
L. P. F. F. V. A. VI (b).

(a) Pag. 880. n. 2.
(b) Pag. 924. n. 20.

Comma QVI. V. A. VI. praemitte initialibus L. P. F. F. quas demum ita expones: *Locum* (vel *lugens*) *Pater filio fecit.*

20.

DIS. MANIBVS
MAMMATAE
BASVMIA. THAIS
ANCILLAE. BENEMERENT. F
V. A. XX
D. P. S. T. (a).

Initiales sic ordinandae: F. D. P. S. T. L. Reddit: *Fecit de pecun. sua. titul. loc.* Nam quae lineae penultimae sunt, hae defunctae annos innuunt.

(a) Pag. 956. n. 2.

21.

T. AVRELIVS. T. L. FELIX
VIVOS. FECIT. SIBI
ET. LIBERTIS. SVIS
OMNIBVS. ET
CONLIBERTIS. SVIS
ET. CONLIBERTAE
GRATAE. SVAE
IN. FR. P. XVI. IN. AGR.
P. XX
MON. H. M. N. S
DIS. MANIB (a).

MON. H. M. N. S - *Monumentum hoc mandavit nomine suo.*

22.

D M
C V C
F M S
T P (b).

Haud infrequens quadratariorum libido in characterum dispositione luxuriandi per otium. Si lubet, sic habeto:

(a) Pag. 963. n. 3.
(b) Pag. 1929. n. 8.

D. M
Cuciae
Filia. Matri. suae
Tit. pos

Adhuc alterum, sed extra ordinem tamen, finemque faciemus.

23.

CHAERONTI. AVG. N̄
DISP
RAT. COP. EXPED. FEL
II ET. III GERMA (a).

Chaerontem, Augusti Servum, accipimus *Dispensatorem rationum copiariarium expedition. felic. secundae, et tertiae Germanicae.*

(a) Pag. 649. n. 5.

EXERCITATIONVM IN VOCES GRVTERIANAS NONNVLLAS SPECIMEN ALTERVM.

§. II.

1. ATTEGIA. De voce hac extat Gruteri titulus huiusmodi :

DEO. MERCVRIO. ATTEGIAM
TEGVLITIAM. COMPOSITAM
SEVERINIVS. SATVLLINVS
C. F. EX. VOTO. POSVIT. L. M. (a).

Attegias attigit Iuvenalis :

Dirue Maurorum ATTEGIAS , *castella Brigantum* (b).

In quem locum *attegias* accipit Facciolatus pro *mapalibus* , *tuguriisve*. Aliud innuere videtur in titulo recitato *attegia tegulitia composita*. Anne *tegularum* veluti *incrustationem* inductam aedi Mercurii , quae , quo elegantior esset , non *simplex* , sed *composita* fuit , idest variis *tegularum* ordinibus affabre discreta?

(c) Pag. 54. n. 11.
(d) Sat. XIV. v. 196.

Attegia procul dubio repetenda videtur abs obsoleto *attego*, idest *ad*, et *tego*, unde et *tegillum*. Quin ipsae Maurorum *attegiae* facile sic nuncupatae, quod *luto*, aliove simili, extrinsecus *adtectae*, illitaeque erant.

2. AVTOMATARIVS. Sic fragmentum Gruterianum:

. . . . . .
SATVRNINO
FABRO
AVTOMATARIO
P. DOMITIVS
AMICO (a).

Ad vocem *Automatorius* haec Forcellinius ex Dig. (b): *Sed et automataria, et canthari, per quos aquae saliunt, poterunt legari.* Nec dubitamus, ad machinas haec potissimum *hydraulicas* esse referenda, in quam rem facit et hoc:

Perdiderat laticum longaeva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit (c).

(a) Pag. 643. n. 8.
(b) Pag. 30. Lib. 41 *ad fin.*
(c) Pag. 3. n. 9.

Sed quoniam vocis origo ἀπο τοῦ ἀυταματος arcessitur, est autem τὸ αὔταμα, quod *per se movetur*; *fabrum automatarium* non sine causa dixeris, qui machinas moliebatur in theatrorum praecipue usum, quae *in speciem* sponte movebantur, et *pegmata* etiam nuncupata.

3. DIRVTIO. Sic luculenter ex Grutero:
EX.DIRVTION.RESTIT.DEDICARVNTQ.(a).

4. LENTIARIVS. Gruterum audiamus:


FRONTO
TI. CLAVDI CAESARIS
AVG. GERMANICI
DISPESATOR
LENTIARIVS (b).


Recurrit et alibi eadem vox. Silet de ea Facciolatus. *A lentibus* procul dubio dictus *Dispensator Lentiarius*, qui nimirum *lentium curam* agebat, ut *negotiator frumentarius* nomen a *frumento* sortitur.

5. TATANS, *antis*. Qui patris vice fungitur. Legimus ipsi vocem hanc in marmore sane vetusto Michael. Arditii, Marchion. Collegaeque

(a) Pag. 696. n. 3.
(b) Pag. 649. n. 5.

nostri clarissimi, et cum amicissimo Furlanettio statim communicavimus. Verum quod marmor τὸ αὐτογραφον videre ipsi non licuit, religio virum gravissimum incessit, ut ne illi locum daret in suis ad Forcellinium auctariis. Stabit autem exhinc fide nostra, nisi fidem ommem amisimus. In marmore erat, quantum memoria suppetit, praemissis ante nominibus, sic: TATANTIS. SVI.


NERVA TRA
ARTICVL ET Q
EEXI NDVLGENTIA E


1.
2.
3.

EXCVRSVS IIII

EPIGRAPHICVS LIBER.

COMMENTAR. XVI.

RAYM. GVARINII.

Nequeo dormire. Hor. Sat. I. L. II.

CAP. I.

TITVLORVM AECLANENSIVM NOVA MANTISSA ANNI 1832.

§. *unic.*

In rei aeclanensis epigraphicae publicae finibus prolatandis operam nobis minime vulgarem praestitit hoc anno Vir ingenii acerrimi, idemque amicissimus, Fridericus Cassittus, qui, si quid ei vetusti expiscari undecumque contingit, nihil prius, sanctiusque habet, quam ut illud ad nos statim pro humanitate sua transmittat. Officii idcirco nostri munus est, ut ab iis potissimum exordiamur, quae ille nobiscum communicavit fide summa, diligentiaque incredibili. Horum autem pleraque asservantur adhucdum in Museo germani olim sui, Iohannis Cassitti, V. C., quaedam vero nova prorsus, suaque ipsius impendia., ac labore sibi recens comparata.

Quibus omnibus, pro re nata, paucula etiam nostra interserentur, ne in fabula unas mutorum partes agere videamur. De Museo itaque Cassittiano haec habe.

1.

GERMANICO. CAESARI

Fragmentum utique tituli *Germanico Caesari* inscripti, qui facile ad basim prostabat *statuae* alicuius eidem dicatae.

2.

IVNONI. AVGVSTAE

Insculptum superne caput Leonis marmoreum, cuius in ore foramen, fortasse in usum aquae emittendae.

3.

.... E. FLAM
Diva - E. AVG
Anto-NINI. AVG

Videturque *Flaminicam* quamdam insinuare *Fatidillae*, *Antonini uxoris*.

Flaminicae tamen huius nomen incertum, cuius nil in marmore reliquum, praeter literam finalem E. Fortasse ad classem eamdem refe-

rendum fragmentum hocce, quod nuper ad D. Antonii tabernam effossum ipsi per nos excepimus:

4.

*

. . A

IM. . . . .

R. B. . . .

Signo * utimur, ut mos est noster, in iis referendis, quae aut ipsi vidimus, aut nostri etiam iuris sunt. Insigne, quod sequitur, Cassittianum fragmentum *Ordini Aeclanensium splendidissimo* testimonium dicit. Verum quid ipsi, quave de causa, vel in cuius gratiam, propositum proprie sit, non datur coniectura assequi:

5.

. . . . SVAEINIRA

. . . ANNIHSLXIII

Prae SENTAVITSPL*en*

*didis*SIMVS ORDO

*Aecla*NENSIVMOB.M

. . . . POSTVLATV.P

6.

NERA*tio*

BETIT*io*

PROCILLI*a*

FAVSTIN. .

De Neratiis, Betitiisque prolixa in marmoribus aeclanensibus commemoratio. Anne Betitio huic Neratio signum honoris aliquod dedit *Procillia*, Faustinae seu *Flaminica*, seu *Sacerdos*? Nihil omnino est, quod extundas e ramentis verius, quam fragmentis, quae sequuntur. Vel sic tamen minime omittenda:

7.	8.
... LL	.. *a*DLECTO
... PAL	*st*LITIBVS
	iudicand.

9.	10.
..... AVDIV....	.... CIN
..... BSPLEN..	.... MA

11.

HOSTIDIA. C. F. IVSTA
ORFELLIA. P. F. GALLA
MATER. FECIT. SIBI
ET. FILIAE. SVAE
DE. SVO

Nihil sapidius, simpliciusque. Characteres aetatem olent Antoninianam, si quid licet ex his coniectare de talibus. Marmor qua qua vorsum palmorum fere trium. Mirabellae effossum in

Agro, cui nomen *S. Modestino*, ruderum inter acervos ingentes. *Hostidiae*, *Orfelliaeque* gentis nullum in Grutero vestigium. Cum epigrammatis huius exemplar Cassitto nostro dono misissem, ille benefactum pro benefacto, non sine foenore, rependens, lapidem alium aeclanensem sui iuris dono dedit, Mirabellae inter, Bonetique fines repertum, qui talis est:

12.

*

VITELLIAE. Q. *F*...
MIMAE T. P. *s*...
ZMVRNA. l....
ET. GRATVS....
FECERVN*t*

Marmor dextrorsum imminutum ad versum usque secundum, caetera integrum: sed characterum extritorum vestigia nulla, quae deprehendi oculo queant. *Vitelliam* puto Q. Vitellii filiam, professione *Mimam* fuisse, cui *titulum pecunia sua* fecerunt *Smurna*, et *Gratus*, Servi ambo, quorum herile nomen in gignendi casum temporis iniuria deletum.

13.

.... SPEDIVS. VIB. F
... COR. DEXAN
... ICVS. HIC. SITVS

De Gente *Spedia* in re aeclanensi non infrequens recordatio. Titulus nunc referendus, item funebris, qui nuper in *Mirabellae*, *Fontisque Rosei* confinio in lucem prodiit.

14.

D. M
VIBI. SECVND
VIBIVS. CRIS
... Γ IIVS. B. M. F

Lineam postremam sic restituendam censemus: *Crispinus*; vel CRIS-PVS. FILIVS. Aeclanensibus vindicandum epigramma, quod Gruterus extra Mirabellam inventum fatetur. Est autem huiusmodi:

15.

C. BABRI. RVFI
VIX. ANN.
XX
BABRIA. PRIMA
MATER. FIL
B. M. F (a).

(a) Pag. 672. n. 9.

16.

GN. POMPONIVS. DEMETRIVS. VIBO. SIBI. F

Nuper Mirabellae effossa in loco celebri, qui vulgo *le Grotte*. Nec ingratum Lectori, sigillum aeneum aeclanense apponere cum manubrio anulari, cui superne vasculi emblema insculptum. Characteres, formarum defectu, recti, non inversi, ut in aliis fere plerisque, exhibentur: forma sigilli paene quadrata: literae NT in nexu cubant:

17.

*

C. ANTONI
SEVERI

Christiani quoque tituli aeclanensis exemplar praebuit idem Cassittus, quo cietur IND.X.P. C. BASIL V. C, hoc est, Aerae vulgaris 555.

18.

✠ HIC REQVIES
CIT IN SOMNO PA
CIS. MARIAQVEVI
XIT. ANNVS. PLM
XXV. DEPOSITIO. EIVS
VIII. NŌN IANVARIVS
REQVIES. P. C. BASIL
V. C. IND. X

Gratia quoque habenda viro eidem, quod ipsius tandem beneficio datum, genuinam lectionem nosse marmoris, quod allatum per nos alibi est (a). Linea tertia sic habet, ut in se tunc temporis recepit V. C. Iohannes, Friderici Frater: VE. CIVI. legendumque vir summus praecipiebat: *Veronensi Civi*, quod nos aegre patiebamur. At nunc marmor idem a Friderico nostro iterum iterumque interrogatum, loco τȣ VE. CIVI. ex industriae visu dat: B. CIVI., quod est: *Bono Civi*. Nihil igitur *Calventio* nostro cum Veronensibus commune. In linea rursus eadem legenda sine interpunctione vox PATR; quam idem Iohannes interpunctam nobis pro singulis literis dedit. Nactaque semel occasione, monendus Lector, quae, ibidem (b) *Caniae* nomine legitur, inscriptio, *Fontique Roseo* adfini falso ibidem attributa, eamdem esse cum ea, de qua alio loco (c) actum. Sed loco *Caniae*, reponendum esse *Canoniae*, Mirabellaeque omnino adiudicandam, cuius in Agro extat hodiedum, et quam ipsi per nos et vidimus, et ex-

(a) *Ricerche sulla città di Eclano* Pag. 102. n. VII.

(b) Pag. 91. n. XI.

(c) *Comment.* XIII. Pag. 95.

scripsimus. Idem fato malo contigit olim male feriatae *Koniae* cuidam, eidem Oppido attributae, quae reddenda est.. SONIAE, i. e. COSSONIAE, aut VESONIAE, sive CAESONIAE, vel MELSONIAE; et male multata prostat Mirabellae in pistrino quodam oleario. Sed Cassitti nostri vestigia paullisper repetamus finem deinde paragrapho huic impositurі. Alio ille nos munere remuneratus est longe acceptiore, fragmento videlicet insigni apparationis cuiusdam gladiatoriae, Compsae Hirpinorum recens reperto. Qui munus hoc edidit, nomen latet, cuius vix superstites extant characteres tres primores GAL... Constat tamen, eum et Augustalem, et Quinquennalem fuisse IIIIvirum, et Quaestorem alimentorum, et Quindecemvirum, qui in gratiam Matris suae, cuius item nomen incertum, *splendidam* per *biduum editionem dedit muneris gladiatorii* cum elargitione X *populo utriusque sexsus*. Atqui haec omnia *dedicationis* cuiusdam occasione. Statua igitur, aut simile aliud, matri dedicatum. Marmor sic habet, quod et pro viribus restitutum:

GAL. . . . . . .
IIII A*ugustalis*. IIII
VIRQQ*Quinquiens. Qua*-
ESTALIMENT*orum*
XVVIR MATRI *Statuam*
OBMERITAEIVS *et splen.*
DIDAM EDITIO*nem mu*-
NERIS GLADIATO*rii*
PIEPS VRBAN*a. aer*
CONLATO. CVIVS DE*dicat.*
POPVLOVTRIVS*que*
SEXSVS CETER*is*. . . .
BIDVO. DED*it*
L. D. D. D

Linea nona fortasse sic reddenda. *Pie pro sua urbanitate*, *aere conlato*, nisi placeat magis *Plebs urbana*, quae *muneris editionem aere conlato* dederit. *Populum utriusque sexus* puto intelligendos *Patres*, *Matresque familias ingenuas*, quas et *Mulieres* dictas vide in largitionibus huiusmodi apud Gruterum (a).

(a) Pag. 1089. n. 6.

CAP. II.

QVAEDAM NOSTRA, QVAEDAM ALIENA CASTIGANTVR.

§. I.

Virum illustrem, Hamiltonium, nuper apud Regem nostrum Britannorum legatione functum, de lucubrationibus nostris dicere solitum, memini, eas lectori omnes perspectas esse, oportere. Saepe enim contingere, ut quae uno in loco vix adfecta, ac veluti exasciata, occurrant, ea alibi uberius expolita, vel in melius recusa, deprehendas. Quo viri iudicio ingenii maturrimi, laborisque patientissimi, nihil sanctius, aut verius. Hoc nos amplius. Si cui posthac vacat, in reculis nostris tempus suum terere, optume is sibi consulet, si a posterioribus exorsus ad priora usque per gradus procedat. Nec gravabimur, si molestiae huius causam non ad rerum, de quibus agere institutum est, sive novitatem, sive difficultatem, referat, sed ad ingenii potius nostri mediocritatem, eruditionisque paupertatem. Sed proemiorum satis.

1. In Comment. nostro XIV. (a) plura de *Matavita* Petroniana, voce prorsus inaudita, quae τῶν κριτικωτατῶν mire torsit ingenia. Caeteris nunc coniecturis haec fortassis antehabenda. *Mataris*, quae et *Materis*, genus fuit hastae Celticae, cuius meminit Caesar (b), et post Caesarem Livius (c), et Auctor ad Herennium (d). Fortasse *mataridis* olim, vel *materidis* in gignendi casum, unde ablativus *Mataride*. Inde vitio sive aurium, sive exceptorum, sive utrorumque, pro *mataride* in textu Petroniano irrepsit *matavita*. Facilis quippe transitus tum formae *r* in *v* in membranis, tum sonus literae *d* in *t* adfinem.

2. In *Parnasso* nostro *Lapidario* (e) titulum habes Coemeterii prope Nolam effossum an. 1795: sed pessime habitum, nescias, utrum marmoris, an exscriptoris culpa, in cuius propterea emaculationem curae eo loci nostrae adiectae, quarum modo poenitet. Titulus hic est:

(a) Pag. 84. et seqq.
(b) De B. G. Lib. 1 C. 26.
(c) L. VII. C. 24.
(d) L. IV. C. 32.
(e) Pag. 133.

M. S. T..... ɔ. M. F
PA.... COM
FISIO. S.... NO
RVTILIO. CAESIANO
IIVIRO. AVGVRI
VIXIT. ANN. XXXI. MENSIB. XI.
DIEBVS. XVIII

Ad calcem elogium metricum, quo docemur, *Iuveni Sereno marmor sacratum a Patre cum Fratre Sereni defuncti.* His adnotatis, sic auspicatius ex integro marmor restituitur.

D. M. S. T. Fisio. M. F.
Pater. com
Fisio. Sereno
Rutilio. Caesiano
IIviro. Auguri

Com pro *cum* minime in talibus novum. *Fisius Serenus Rutilius Caesianus*, addito *praenomine*, vir quinque nominibus insignitus. *Duumviratus*, et *Auguratus* in dandi casum ad defunctum utique referendi; et cum *Duumvirum* audis sine additamento, subaudi I. D. Nunc restitutionis universae fundum accipe ex Marmore alio, item Nolano, quod Gruterus (a) affert:

(a) Pag. 1088 n. 14.

FISIAE
SEX. F
RVFINAE
SORORI
FISI. SERENI
AVG
LARVM. MINISTRI
L. D. D. D

Fisius hic *Serenus*, *Larum Aug. Minister*, alius procul dubio a *Fisio Sereno*, IIviro, atque *Augure*. Anne illius *Frater*? Ita porro censendum. Sed hoc potius secum animo reputent, qui de conditione *Ministrorum*, sive *Augusti*, sive *Fortunae Augusti*, parum digne sentiunt, *ministeria* eiusmodi tanti olim habita, ut *Rufinae* laudi detur, quod *Soror* extiterit *Filii Sereni*, *Augusti Larum Ministri*.

Et hactenus negotia nostra curavimus: nunc aliena tantisper. Qua in curatione, qui vineta ipsi sua caedere in more habent, his parcendum, si in aliena interdum falcem immittant, praesertim si iniuria ante provocati id iure facere videantur. Quandoquidem, ut ille ait:

Exempla quisque sua aequo animo debet pati.

Nuperus itaque quidam Scriptor, musarum elegantiorum cultor, in titulis Puteolorum nonnullis exponendis operam minime poenitendam collocavit. Dolet tamen, eum penso huic exequendo animatum magis, quam satis paratum, accessisse. Nam in quaestionibus quibusdam, iisque gravissimis, attingendis ita uni parti inservit, ut de alia minime sollicitus, probet se in scribendo sui iuris omnino non fuisse. Quo factum est, ut praeceptoris sui unice metuens, a quo nec hilum recedit, de rebus statuat, quae in longum viros summos exercuere, una fretus aiendi, negandi, declamandi fiducia.

1. Eccui ignotae eruditorum inter se non turbellae, sed turbae maximae, de Marmore Puteolano, cuius initium A. COLONIA DEDVCTA, aliis ad spuria illud amandantibus, aliis ex adverso pro illius τῇ αὐτενθεια acerrime pugnantibus? Et tamen post difflatos Maffei praecipue scrupulos, qua in contentione laude sua minime fraudandus Zannonius, V. C. fato malo recens rei literariae publicae ereptus, controversia haec profligata fere viris doctis videbatur. Cum ecce ex inopinato noster litem non tantum ex integro restituit, sed parti adversae om-

nino adiudicat, nullumque interfandi locum patitur. Verum ecquibus tandem novis argumentis? Nullis admodum, ea dumtaxat summatim delibare contentus, quae ab aliis congesta sunt, vetustate ipsa sua, solidisque partis adversae responsionibus fatiscentia. Ipsummet tantisper audiamus. *Certe et inaudita ἐποχην signandi ratio, et postpositi Colonicis Magistratibus romani Consules, et* CAETERA *huiusmodi prorsus* ABSVRDA, *quae vix ipsum lapidis titulum intuentis* OCVLOS FODIVNT, *titulum ipsum supposititium esse... tantum non aperta voce contendunt.* Itane vero? Atqui Maffeianae cavillationes, et *caetera absurda*, quae noster sinu suo condens prodere non est ausus, tam luculenter per nos, aliosque retusa (a), ut coecum omnino esse oporteat, qui luce tali non percellatur. *Inauditam* porro non esse την ἐποχην signandi rationem, quae occurrit in Marmore Puteolano, discere potuerat ab idoneis moris huiusmodi exemplis, quae prolata per nos loco suo cur noster negligat, minime adsequimur. Quibus et haec de

(a) Consule *Illustrationem Apologeticam Marmor. Puteolan.* italice exaratam.

penu nummaria addimus e Spanhemio desumpta: COL. VIM. ANN. I. II. i. est: *Coloniae Viminensis anno primo*, et *secundo*. Et in *Philippo* : AN. VII. AN. VIII. in *Decio* autem, et *Q. Herennio.* AN. XI. et AN XII. (a). Sed vide hominis confidentiam dicas, an temeritatem? Qui marmoris fidem elevare conantur, Maffeius in primis, dubitare se, profitentur: nostro, VNO INTVITV SVPPOSITITIVM adparet, evidentiaque tanta, ut OCVLOS FODIAT. Gratulandum viro,

Qui tam cernit acute,
Quam non aut Aquila, aut Serpens Epidaurius.

Sed quaestionem parumper rationibus, non declamationibus, aggrediamur.

Alienis ille insistens vestigiis, totus in eo est, ut veri nominis Coloniam arceat ab agro Puteolano. Atqui Puteolos non unam, sed plures variis temporibus fuisse Colonias deductas, et veteres Scriptores, Livius in primis, et generis cuiuscunque monumenta, tam luculenter

(a) *De Praest. et usu Numism. Dissert.* IX.

testantur, ut vel coecutientium oculos vere fodicent. Caeteris omissis, quae loco suo fideliter sunt memorata, quid faciet Fragmento huic Gruteriano (a)?

.....
AEDIL. COLON.
PVTEOLANORVM?

Sed vide hominis ingenium. Marmor Puteolanum, quod Puteolos coloniam inducit, *suppositititium* esse contendit: testimonium interim Valerii Maximi, quo de Colonia Puteolana Syllanae tempestatis disertissime memoratur, et ultro recitat, et ingenuum ingenue profitetur. Locus huiusmodi est: *Puteolis ardens indignatione, quod Granius*, PRINCEPS EIVS COLONIAE, *pecuniam a Decurionibus ad refectionem Capitolii promissam, cunctantius daret, animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore, ac minis mixtum, evomuit.* Si stat Valerio fides *Coloniam Puteolanam* referenti cum PRINCIPE EIVS; cur eadem de causa fides non habenda marmori Puteolano,

---

(a) Pag. 195. n. 9.

ipsumque ad *supposititia* reiiciendum? Sacrificat adhuc noster. Vtrum litet, videamus.

De templo *Honoris* Puteolani in marmore mentio est. Ergo supposititium. Sic ille nimirum. At nuperus, neque porro sordidus auctor, templi huius vestigia se deprehendisse, testatur. Nil proficit. Noster namque deridiculum eum facit. Parum urbane. Nil quippe tale sive aetate, sive hominum opinioue, meretur. Caeterum quidquid huius rei sit, nostrum non est decernere, quibus non vacat, res Puteolanas propius intueri. Nostra tamen interest, nosse, quibus de causis *Templum* hocce *Honoris* Puteolanum, *somnium* merum ille putat. *Honoris templum* (sic fere ille) *Romae unius erat*, nec locum Puteolis habere poterat. Itane per civem Puteolanum Puteolorum oppidum vetustissimum honoris exsors, ut *Templum Honoris* nefas fuerit in eo excitari? Esto. Templum ergo hocce, Puteolanis dimissis Municipibus, concedatur Colonis, qui Puteolos incolentes, romanos in oppido suo mores aemulabantur. Ad haec: nonne Romae *Capitolium* fuit, quo tamen urbes non paucae carere noluerunt? Et quod Romae extitere *Porticus Concordiae*, idcircone vetitum *Eu-*

machiae Sacerdoti easdem cognomines extruere Pompeis? Nec pudor est, ficulneis hisce telis marmoris nobilissimi iuxta, ac vetustissimi τὴν αὐτενθεταν ultra impeti, cuius originem si ad Plautina tempora referas, haud multum a vero abludes? Illud certe et cum fide historica mirifice in omnibus consentit, et sive rerum praeterea gravitatem, varietatemque consideres, sive verborum castitatem, sive modorum proprietatem, purioris aevi veluti promptuarium est, ac meditullium iis, qui ipsum non simplici *intuitu*, ut noster facit, sed diu, ac serio sunt contemplati. Quod si adhuc supposititium dicere perseveret, recentiorisque aetatis abortum; optandum fortasse deinceps, ut *genuina* quaevis in *supposititia* huiusmodi evadant. Pauca adhuc, finemque faciemus.

2. *Gaviae* cuiusdam funus, Matronae Puteolanae, cereum nostri animum funestat adeo, ut nihil ei posthac, praeter *moerorem*, *luctumque merum*, obviet. In altero siquidem generis huius titulo cum ad finem lineae septimae in haec incidisset: P. MANLIVS. IGNATIVS. TAVRINVS. DVOVIR MVFQDERFPIC; singularium omnium stadium mira felicitate, unoque spiritu;

percurrit. Haeret tamen in prima singularia M, quam denique per longas ambages reddit: *Moerens.* At Manlio Duumviro propositum fuerat, veluti funebrem Gaviae apud Collegas suos adornare laudationem, quo hi ad decernendos Gaviae honores proniores essent. Initialis igitur M reddenda sic: *Merito*, vel si mavis cum Plinio, *magnifica verba fecit*, *quid de ea re fieri placeret.* Sed non hic fabulae finis. Quo interpretationem hanc ille inauditam tueatur, recitat Gruterianum hoc (a):

D. M
M. OPPI. PLACIDI
HAR. PRIM. DE. SEX
CVI. LOCVM. SEPVLT
VR. ORDO. SANCT
ISSIM. LVG. DEDIT

Et τό ORDO. LVG. exponit: *Ordo lugens.* *Senatum* equidem *ridentem* ex Dione noveramus, cum ineptiret Commodus: *Ordinem lugentem* nunc primum discere, datur. Tantine erat intelligere, marmor, quo de agitur, *Lugduni* fuisse effossum, adeoque de *Ordine Lugdunensi*,

(a) Pag. 404. n. 8.

non *lugente*, sermonem institui? Leviusculum hoc aliud:

3. *Fundum* quemdam *Marcianum* sic dictum a *Marciano* contendit. Dixisset rectius a *Marcio*, unde *Marcianus*. A *Marciano* siquidem prodit *Marcianensis*, ut a *Romano Romanensis*. Atque haec hactenus non arguendi animo dicta, sed monendi potius virum amicum, quo paullo modestiorem se deinde, metuentioremque in rebus huiusmodi probet. Dices fortasse:

Cur toties laesus probris non probra rependam?
Sat bona, si nescis, sat bona causa mihi est.
Sunt, quibus interea acer ego sum. Scilicet astu,
Dicendi vires dicere virus amant.

EFFOSSIONVM AN. 1832. ET 1833. IN AGRO CIRCELLI BREVIS NOTITIA.

§. II.

Ohe! Nicolae praestantissime. Ecce iterum Cassittus noster, manibusque, ut illi mos, gazarum plenis. At quales gazae? quales nec ipsi ad res nostras, non dicam optare opportuniores,

sed nec cogitare animo potuissemus. Nam te meminisse oportet, nos paucis abhinc annis, ope monumenti unius literati, eiusdemque capite mutilati, incertam ad illud usque temporis Ligurum olim Baebianorum sedem tam certo constituisse, ut nullus deinde de eo ambigendi locus fuerit. Quid nunc ad haec novi ex inopinato Cassittus noster? Sane plura, eaque pretii quantivis, quae tibi perspecta esse volumus.

1. Et quoniam de antiqua Ligurum Baebianorum sede agitur, monet vir diligentissimus, adhuc *Baebianae* nomen constare toti viciniae illi agri Circellensis, in quo fragmentum iam pridem effossum fuerat marmoris publici, in grati animi significationem Ligurum olim Baebianorum erga Patronum suum, qui *Balinea publica terraemotu conlapsa* ipsis restituerat. Quam in rem consuli possunt, quae dicta per nos alio loco sunt (a).

2. Hoc eodem in loco, cum anno 1831. novae susceptae effossiones fuissent, ruderum generis cuiuscumque vetera vestigia, eaque ma-

---

(a) *Illustrazione dell' antica Campagna Taurasina.* An. 1820.

gnificentissima, esse detecta cum reliquiis *Viae* cuiusdam *publicae* Beneventum versus, quod non longe inde distat. Inter haec eminebant *Statuae* duae ex aere, de quibus nihil est, quod commemoremus, quod Beneventum clam traductae emptorem illic statim nactae sunt suum.

3. Hoc longe opportunius. Lapidem alterum literatum, etsi capite imminutum, in lucem prodiisse, quo Patrono eidem paullo ante memorato Ligures Baebiani gratias agunt, quod Balinea *suis impensis refici iusserit*. Parum enimvero, si verborum corticem intuearis, differt fragmentum hoc recens a vetere, quorum utrumque par fortuna nomine Patroni fraudavit: sed priore illo, *Ordo* una, *Populusque Ligurum Baebianorum*; posteriori hoc, *Populus* unus, seorsum ab *Ordine*, Patrono suo ob eamdem causam gratificatur. Ecce illud tibi, Nicolae optime:

. . . . . .
PATRONO
QVI. BALINEVM. TERRAEMOTV. CONLAPSVM
SVIS. IMPENSIS. REFICI. IVSSIT
POPVLVS. LIGVRVM. BAEBIANORVM
P. P.

4. His omnibus in immensum praestare *Tabulam aeneam*, in longum palmorum VII; in latum V; crassitie vero aequalem unciis II. Monumentum omne aequale Pondo CLVI. cum dodrante. *Alimentariis* accensenda sine dubio, quod tota est in *alimentis puerorum*, *puellarumque Vlpiorum*, duplicique de causa numquam satis commendanda. Primo enim novae huius Tabulae accessione, *Velleiana*, de qua plura egregie Muratorius, et Maffeius, *unitate* excidit, qua ante iure suo gloriabatur. Secundo, quae tempore caeteris praeisse putabatur ab iis, qui in ea illustranda insudarunt, suppar dehinc habenda est sine cunctatione *Baebianae* nostrae, sic enim deinceps eam nominitare, ius est. *Velleiana* siquidem agri Placentini Traianum exhibet DACICI etiam cognomine insignem, qui in *Baebiana* GERMANICI unius titulo contentus procedit, *Consulque* IIII. cum *Sexto Articuleio Paeto* Collega, quae utique referenda ad annum Aerae nostrae unum supra centesimum.

Dolendum tamen maximopere est (quo uno Tabula *Baebiana* longe *Velleianae* concedit) immaniter eam detruncatam ad nos enatasse a parte in primis sinisteriore. Quo factum, ut et

praediorum nomina, quae LIGVRES. BAEBIANI. OBLIGARVNT. *de proprio*, et HS. summa universa, in quam praedia ipsa sive *empta*, sive *aestimata*, sive *obligata* sunt, et puerorum, puellarumque tum nomina, tum numerus nos omnino lateant.

Non vacat heic congerere, quae de monumentorum huius generis notitia generatim collegere Maffeius, Muratorius, Morcellius, aliique, qua quisque doctrinae, eruditionisque copia pollebat. Eccui enim bono labor hic? Brevitati quippe unice studemus, necessariorum contenti; quique ea ignorant, quae discere cupiunt, pravo pudore seposito, eos adire facile possunt, qui haec uberrime tractarunt. Hoc unum igitur reliquum est, ut *Tabulae Baebianae* schema fideliter expressum eruditorum oculis subiiciamus, pauculis in finem adnotatis, quae in ea percurrenda moram tironibus facere possint. Tabulae schema, quale ad nos est a Cassitto transmissum, videsis in fine.

Scholion.

1. *Fundi*, quorum reditus in puerorum, puellarumque alimoniam impendendi, *Ligurum* apprime *Baebianorum* fuere, qui, pecunia ac-

cepta a Caesare, ad id *obligarunt praedia de proprio*; sic enim aeris lacuna videtur implenda.

2. Praediorum eiusmodi pars in totum *empta*, pars tantum *obligata*, id est, modicis usuris menstruis, a praediorum Dominis solvendis, pro pecunia a Principe accepta. Quae *praedia* de novo *emi* contingebat, ea ante *aestimabantur*, deinde, pro *aestimatione*, reditus taxabantur. Ita ex. gr. *Emit fundum Pastoriani Pertica Beneventana-Pago Aequano. Adfinis Eriscia* (forte *Priscia*) *Restituta*, *et Poblicum. Aestimatum* HS. $\overline{\text{IX}}$. F. HS. L$\overline{\text{XXXV}}$. *in* HS. V$\overline{\text{III}}$. N; quae summa postrema *reditus* insinuare videtur. Dum POB. audis, cogita de *Via*, aut alio quovis loco, *publico* tamen, cui *praedium* erat *adfine*.

3. Sed praediorum non omnia Baebianorum Pertica continebantur. Quaedam Pertica Beneventana concludebantur, quae ter per se occurrit, bis cum *Pago Aequano*, quem non dubites *Pertica Beneventana* comprehensum olim fuisse. An *Aequanus*, qui hodie *Cusano?* Beneventana porro Pertica fuit Baebianorum adfinis ad *Caloris* dexteram, quod flumen mediat inter utramque.

4. *Fundos* inter duplex memoratur *Fundus Caesaris nostri*, quod nempe Caesaris privatus esset uterque.

5. In lineola ultima a parte laeva est... INIO. SECV...: An tangitur hic Plinius secundus, cuius, quae apud Traianum partes fuere pro re alimentaria, ecquis nescit? Quid pronius, quam suam quoque symbolam aliquam collatam ea occasione a Plinio fuisse Baebianorum alimentariorum beneficio?

6. Praeter *Pagum Aequanum perticae Beneventanae*, quater cietur PAGVS MEFLANVS, bis PAGVS SALVTARIS, qui, quales, et quo olim constiterint, quis nunc praestet? Nullum horum vestigium hactenus suboluit sagacissimo Cassitto nostro. Sed pro certo tamen est, his in Baebianorum pertica locum fuisse. *Pagus* item *Salutaris* occurrit in Tabula Velleiana. Sed cave, alterum cum altero confundas. Extitere, extantque, et extabunt porro, et *Oppida*, et *Vrbes*, et *Pagi*, cognomines.

7. Corrigendum τὸ σφάλμα (aeris, an exceptoris?) versus antepenultimi ad dextram, et loco τȣ̃ ADE, lege ADF., periochamque integram habebis sic: *Emit fundum Aquiliani Pa-*

go supra scripto, *adfinem Vmbrio Primo*. Liceat nunc abs longo itinere, nec sane pervio, quiescere paullisper. At ecce

Haec inter delatae ad nos reliquiae inscriptionum duarum e Lucania, quae ambae sepulcrales. Prima sic habet, si exceptori fides habenda :

I.

. M
. . ΓVRNINAE
. . . . IIVSTISER
ANIMv. . .
SPERIT SYNETIA
L DVLCISSIMAE
EI SIBI
P

Videtur sic restituenda :

D M
Saturninae
Synetii. Iusti. Ser
Animulae. innocen
ti. Sperata. Synetia
L. dulcissimae
Et. sibi

Initialem L lineae 6 redde: *Locum*; vel si mavis, *Liberta*, et refer ad *Speratam Syneitam*.

2.

CRESCITIT
ATPVLEIIVS B
XVIII

Forte sic redintegranda:

C. Restitutus
Appuleius. B
An. XVIII

B est *bixit*, pro *vixit*.